

rum mulierem vocitans: Sed quid histo-  
rica miramur, cum à suis etiam militi-  
bus, à quibus nullum Imperatorem aut  
Ducem æquè dilectum cōstat, irrisus sit,  
Quo die de Gallis triumphabat currum  
de more prosequentes, hoc inter multa  
cecinerunt:

*Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.  
Item illud:*

*Ecce Cæsar nunc triumphat qui subegit  
Gallias,*

*Nicomedes non triumphabat qui subegit  
Cæsarem.*

Illud præterea, urbani:

*Servate uxores, mæchum calvum adduci-  
mus.*

*Aurum in Gallia effudisti, hic sumpsisti  
mutuum.*

Hæc tamen triumphalis utrunq; pompæ  
libertas excusauerat, sed quisnam in illis  
patientiam habuisset? Circa supremum  
vitæ tempus L. Bruti, qui Tarquinium ex-  
pulerat, statuæ subscriptum fuit: Utinam  
viuores. Statuæ Cæsaris hoc modo: Bru-  
tus, quia Reges eiecit Coss. primum fa-  
ctus est, hic quia Coss. eiecit, Rex postre-  
mò factus est. Mirum quo homo inuicti  
Spiritus, & nullos metuens, tam pertule-